



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

De Ecclesia, Qvæ Est in Pvrgatorio

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

V. Soluuntur obiectiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53890](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-53890)

## CAPVT V.

## Soluuntur obiectiones.

**B**IIC IVN T primò testimonia quædam Scripturarū, quibus vtitur Ecclesia in officio defunctorum, dum pro animabus, quæ degunt in Purgatorio, orare cupit. Psalm. 6. *Animam meam turbata est valde.* Et ibidem: *Sana animam meam, quoniam conturbata sunt ossa mea.* Et Psalm. 114. *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenierunt me.* Certè ista tanta perturbatio & anxietas non potest nasci ex solis pœnis, sed ex incertitudine, & metu æternæ damnationis; nam si animæ illæ perfectæ essent in caritate, & certæ essent de sua salute, nō ita timerent, cùm scriptum sit Proverb. 12. non contristabit iustum quidquid acciderit ei.

**R**E S P O N D E O, stultum esse, ex eo quod Ecclesia vtitur aliquo Psalmo in officio defunctorum, velle omnia verba eius Psalmi intelligere ad literam de defunctis; quomodo enim intelligemus de defunctis illa verba eiusdem 6. Psalmi: *Luabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo?* Itaque Ecclesia propter vnam aut alteram sententiam, quæ ad rem præsentem facit, totum aliquem locum Scripturæ legere solet, etiamsi maior pars illius loci ad rem præsentem non faciat. Sic in dedicatione Ecclesiæ legitur Euangelium de Zachæo, quia illa vltima verba: *Hodie salu huic domui facta est, conueniunt aliquo modo dedicationi & consecrationi Ecclesiæ.* sic in Assumptione B. Virginis legitur Euangelium de Martha, & Magdalena propter illa verba: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eis.* Sic denique (vt omittam cetera) in officio defunctorum propter illa verba Psalm. 6. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.* Et propter illa Psalm. 114. *Placebo Domino in regione viorum.* leguntur integri illi Psalmi.

Adde, quod falsum etiam est, quod in argumento assumitur, turbationem, & tristitiam non nasci ex dolore, sed ex incertitudine, aut desperatione salutis; nam Dominus ipse Ioan. 12. cap. de se ait: *Nunc anima mea turbata est.* Et Matth. 26. coepit contristari & inœstus esse, & tamen nec incertitudo, nec desperatio in Dominū cadere poterat. locus autem Proverbio-

ueriorum non debet accipi de quavis tristitia, sed de tristitia  
deiiciente, ac deprimente, quæ mortem operatur, quam bea-  
tus Paulus 2. Cor. 7. vocat tristitiam huius seculi.

ALTERA obiectio sumitur ex illa oratione, quæ post Eu-  
angelium in Missa de mortuis recitatur: *Libera Domine ani-  
mas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de  
profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartar-  
rus, ne cadant in obscurum, &c.*

RESPONDENT aliqui, Ecclesiam orare pro agonizan-  
tibus, ne damnentur ad inferos, sed repugnat illud; Libera ani-  
mas omnium fidelium defunctorum, non enim agonizantes  
dicuntur animæ defunctorum. Deinde vsus Ecclesiæ habet,  
vt hæc oratio dicatur etiam in anniversariis defunctorū pro  
iis animabus, quæ ante multos annos migrarunt à corpore.  
ALII dicunt, hanc orationem fundi pro iis, qui sunt in Ge-  
henna, quas interdum liberari contingit, vt fertur de Traia-  
no: sed, vt omittam improbabilem esse illam Traiani histo-  
riam, qui in Gehenna sunt iam ceciderunt in obscurum, atq;  
absorpti sunt à tartaro. quid igitur pro illis Ecclesia orat ne  
cadant in obscurum, néue absorbeantur à tartaro? Deinde  
Ecclesia pro fidelibus tantum orat: *Libera, inquit, animas fi-  
delium defunctorum.* Non autem sunt fideles, qui damnati  
sunt ad inferos.

Duae igitur solutiones aliæ dari possunt. VNA est, quod Ec-  
clesia oret pro animabus, quæ in Purgatorio degūt, ne dam-  
nentur ad pœnas Gehennæ sempiternas, non quidem quod  
certū non sit eas non damnandas ad eas pœnas, sed quia vult  
Deus nos orare etiam pro iis rebus, quas certò accepturi su-  
mus.

Sed aduersus hanc responsonem obiici potest, quia etsi  
Ecclesia interdum oret pro iis rebus, quas certò est acceptu-  
ra, non tamen orat pro iis rebus, quas iam accepit: porrò iam  
accepit ne animæ illæ damnentur, cùm certam sententiam  
illæ habuerint, & securissimæ sint, deinde mens fidelium, qui  
pro defunctis orant vel orari cupiunt, certè eò fertur, vt ani-  
mas illas iuuent, & expediāt à præsentibus pœnis Purgatorij.

Verū istæ obiectiones facile diluuntur; nam etsi animæ  
Purgatorij iam acceperint primam sententiam in iudicio par-  
ticulari, ea quæ sententia liberæ sint à Gehenna: tamen adhuc

superest iudicium generale, in quo secundam sententiam accepturæ sunt. Quocirca Ecclesia orans, ne in iudicio extremo animæ illæ cadant in obscurum, néue absorbeantur à tarto-  
ro, non orat pro ea re quam accepit, sed pro ea quam acceptura est.

Ad illud verò de intentione fidelium, respondeo, etiam illi intentioni satisfieri; nam in illa oratione utrumque petitur, nimis, ut liberentur animæ illæ de pœnis inferni, id est, Purgatorij, quas in præsenti patiuntur, & postea liberentur sententia damnationis in extremo iudicio ferenda.

ALTERA solutio est, quod Ecclesia verè orat quantum ad intentionem suam, ut animæ liberentur à pœnis Purgatorij, tamen utatur eo modo loquendi, quasi animæ tunc migrarent à corpore, & in periculo essent à ternæ salutis, quia commemorat, & repræsentat diem depositionis sive obitus; ut enim in celebritatibus festorum Incarnationis, Natalis, Apparitionis, Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Domini Ecclesia ita orat, ac si tunc deberet Christus, vel incarnari, vel nasci, &c. quia repræsentat illa mysteria ut præsentia, & tamen non intendit ad literam precari, ut verbum carnem assumat, aut nascatur de virginе, &c. sed ut nobis applicetur fructus eorum mysteriorum: ita quoque in sacrificio pro defunctis quia commemoratur dies obitus illorum, Ecclesia ita pro illos orat, ac si tunc morerentur; & tamen intendit orare, ut liberentur ab inferno eo modo, quo liberari possunt, id est, ut non detineantur diutiùs in illis pœnis, vel ut refrigerium aliquod doloribus misceatur. Denique, quomodo non est absurdum, nunc post mille & quingentos annos in aduentu Domini dicere: *Rorate cœli de super, Et nubes pluant iustum*

*aperiatur terra, Et germinet salvatorem. & alia multa*

*id genus, ita non est absurdum pro defunctis di-*

*cere: Libera eas de ore leonis, ne*

*cadant in obscu-*

*rum, Et c.*



CAPVT